

accedentes, ea non¹⁾ temere quam fidei devotione, scientes, quia apud Deum et sanctos eius habet, quamvis ignava, pura tamen devotio et fidei dilectio iuste retributionis mercedem, piorum et devotorum auribus, quantum nobis Deus ipse dederit, intimemus.

Verum sanctus ipse Dyonisius regni regumque Francorum patronus precipuus, custos vigil et sollicitus, ex nonnullis que circa regum ipsorum personas gesta sunt miracula non parum mirabilis apparet aut etiam gloriosus, quin potius inter miracula per eum exhibita precipuum tenet locum interque facta per eum mirabilia mirabilius existit, quod Francorum reges et populi pre ceteris olim nationibus gentilitatis erroribus ardentius astricti per eum facti sunt christianissimi amplioribusque diviciarum terrenarum et celestium honorumque titulis dilatati, sed quod maius est, fidei christiane assidui defensores et strenui in rebusque bellicis pugnatores victoriosissimi, eiusdem patroni sui Dyonisii protegente eos in omnibus ea qua apud Deum precellit potencia, dum nec ad bella quecumque soliti sunt prefati reges procedere, quin prius ad eiusdem peculiaris patroni sui Dyonisii venerabile monasterium humiliter accedentes, extractis de locis suis eiusdem Dyonisii suorumque consortum Rustici et Eleutherii sed et nostris temporibus beatissimi Ludovici corporibus sacrosanctis, eisdem se devotis orationibus recommendant desuperque eiusdem Dyonisii altare sacratissimum de pastore eiusdem loci manibus commune totius Francorum exercitus vexillum accipiant benedictum, sperantes per sanctorum suffragia predictorum et hostium²⁾ superbiam deprimere ac de ipsis victoriam obtinere. Sane quod hoc. Antiquorum enim veridicam legimus sententiam, neminem, nobilem aut ignobilem, regni aut ecclesie turbatorem, cuius culpa aut controversia sanctorum corpora sublevantur, anni fore superstitem, sed ita vel infra deperire. Illis ergo reges Francorum et populos tota se convenit devotione committere qui dare valent eis de hostibus triumphare. Hec igitur attendentes diversa que miracula diversorum regum temporibus per Dyonisium esse facta, intentionis nostre primarie velum ad hoc dignum duximus extendendum, ut describentes facta per Dyonisium miracula atque signa, ipsorum regum Francorum ortum et decursum eorumque genealogiam et gesta, etsi non omnia, pauca tamen, utpote que nobis visa fuerunt plus notanda, discurrendo quasi in hac libelli huius parte tertia, quantum nobis ipsius patris nostri precibus, quibus semper innitimur, Deus largiri voluerit, declaremus. Sic enim in hoc libello regalis serenitas, cui ob amorem patroni specialis sui Dyonisii liber ipse legendus porrigitur, contemplari poterit et

1) Hier ist wol 'tam' zu ergänzen.

2) 'hostia' Hs.